



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Morem gerit vocanti Deo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

dum transportaretur. Hic verò Deus, orationis sanctioris præsidio, in cognitionem vanitatis mundanæ rerumque caducarum adductum, deterritum simul sæculi periculis laqueisque, & ostensâ Religiosi status securitate, exultantem nouis accendit desiderijs, totum se consecrandi vitæ Religiosæ.

*Morem gerit vocanti Deo.*

Ille autem qui semper internis Dei vocibus morem obsequentissimè gesserat, neque vquam diuinis imperijs repugnarat, aurem promptissimè accommodauit tam sanctæ inspirationi; quinimò studuit salutarem hunc affectum fouere in pectore, quem benignissimus Creator ac Dominus dignatus fuerat in eo inflammare. Hanc ad rem legendis S. Hieronymi epistolis, Vitaque B. Aloysij Gonzagæ, fatebatur se plurimum fuisse adiutum: atque

*Ratio deprehendenda diuina voluntatis.*

epistolæ quidem in eo accenderant vitæ secularis deserendæ, Religionisque ineundæ cupiditatem; Vita autem Aloysij, inflexerat ad eligendam præ reliquis Societatem. Verùm vt securius certiusque acquiesceret diuinæ voluntati, tria præterea facere instituit: Primum, auxit orationem, duplicauit asperitates corporis, frequentationemque sanctissimæ Eucharistiæ; quin etiam deinde quothebdomadis confessione Communionequè bis vti cœpit, Deum obtestando, vt in id se vitæ genus impelleret, in quo diuinæ suæ Maiestati obse-